

tantum in te est Deus, et non est absque te Deus: vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator. Ubi ad litteram loqui de Christo, ex ipso contextu liquet, præsertim ab illis verbis antecedentibus: *Rorate cæli desuper, et nubes pluant justum, aperiatur terra et germinet Salvatorem:* et continuata serie de illo Salvatore loquitur usque ad illa verba, ubi aperte dicitur esse Deus. Et denique Baruch III dicitur: *Hic est Deus noster, et non æstimabitur aliis adversus eum;* ubi manifeste loquitur de summo Deo. De eodem autem subdit: *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Qui autem visus est in terris, est Filius Dei, et Verbum quod caro factum est, et habitavit in nobis: ergo ille est verus Deus.

XVI. Correspondent istis locis veteris testamenti alia plura in testamento novo, imo totum testamentum novum ad hoc ordinatur, ut Christi divinitas probetur. Sufficit autem nobis duo vel tria ponderare. Joannis I: *Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum,* ubi illa particula apud distinctionem Personæ designat, et illudmet Verbum quod est apud Deum, non solum dicitur Deus, sed potius Deus ipse dicitur Verbum: si enim dixisset Joannes quod Verbum erat Deus, posset tergiversari hæreticus, et dicere quod erat Deus participative, et non vere. Nunc autem dicendo quod erat Verbum, nulla datur evasio: nam Deus ille apud quem est Verbum, est Deus summus, utpote Deus Pater, de quo nullus dubitat quod est Deus verus, sed illemet dicitur esse Verbum: ergo divinitas, quæ Verbo convenit, et quæ Verbum est, summa et vera divinitas est. Item I Joan. ultimo in fine dicitur: *Ut simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, et vita æterna;* ergo Filius habet illam summam divinitatem qua constitui-

tur verus Deus, et in qua consistit vita æterna: et Joan XX dixit Apostolus Thomas Christo: *Dominus meus, et Deus meus:* et I Joan. III: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quia ille pro nobis animam suam posuit.* Ille ergo qui animam posuit Deus est. Sic etiam Paulus nominat Christum Deum, Roman. IX: *Ex quibus Christus est secundum carnem qui est super omnia Deus benedictus in sæcula:* et ad Titum II: *Expectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi.* Non potest autem dici magnus Deus, et ita magnus, quod est super omnia, nisi sit Deus, non participative, sed essentialiter: ergo et consubstantialiter cum Patre, quia si non est ejusdem substantiæ, sed diversæ, non est Deus.

XVII. Ex secundo principio probatur Filium esse verum Deum, sicut Pater, quia est æqualis illi, si autem non haberet veram divinitatem, sed participatam, non esset illi æqualis, sed multo minor. Quod sit ei æqualis patet, quia dicitur ad Philip. II: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit.* Ergo licet in forma hominis Christus sit minor Patre, et exinanitus, tamen in forma Dei æqualis Deo est, sine ulla Dei injuria. Item ille est æqualis alteri, in quo totum quod in alio est, plene invenitur in isto: sic enim nihil minus est in isto, quam in illo, quod est esse illi æqualem, seu non minorem, sed quidquid in vero, et summo Deo est, est in Filio: ergo est ei æqualis. Minor probatur, nam quidquid est in summo Deo, est plenitudo ipsius divinitatis, sunt omnes divitiæ, et thesauri ejus, sunt omnia quæ ad ipsum pertinent, et sua sunt: nihil enim amplius in aliquo potest excogitari. De primo dicitur d Colossens. II: *In Christo inhabi-*

tat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, id est, vere, et substantialiter, non umbratice, non accidentaliter. De secundo dicitur ibidem: *In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ absconditi.* Isti autem sunt omnes thesauri divinitatis: ubi enim sunt omnes thesauri sapientiæ, est totalis et perfecta comprehensio Dei, quia si non esset comprehensio, non omnes thesauri essent sapientiæ, sed multæ deessent divitiæ, scilicet quidquid sciendum restat usque ad comprehensionem, quod utique est infinitum. Ubi autem comprehensio Dei est, quia omnes thesauri sunt, summa divinitas est, et æqualitas cum Deo. De tertio dicitur Joan. XVI: *Omnia quæ habet Pater mea sunt:* et Joannis XVII, ipse Filius ad Patrem dicit: *Omnia mea tua sunt, et tua mea sunt.* Ergo quidquid est Patris, quidquid suum est, totum est in Filio: sed Patris est essentia divina: hæc enim est natura sua: ergo natura divina quæ Patris est, in Filio est, et in illo invenitur; alioquin non verificatur, quod omnia quæ habet Pater sunt Filii. Ubi autem totum quod est in aliquo invenitur, et capi potest in alio, ibi æqualitas est, nec unum est minus alio. Filius autem habet totum quod est Patris, et omnia quæ sunt in Patre: ergo æqualis ipsi est; et sic non est Deus participative et metaphoricè, sed Deus essentialiter et consubstantialiter, id est, ejusdem substantiæ et naturæ, quia divina natura non potest dividi.

XVIII. Ex tertio principio deducitur divinitas Filii ex ejus virtute et potestate, quæ divina est. Patet hoc, quia est omnipotens et summa virtus; facit enim omnia quæ Pater, et eodem modo quo Pater: ergo habet virtutem divinam: ergo et naturam. Antecedens probatur, nam in omnipotentia seu virtute divina con-

sideratur et extensio ad objecta infinita, id est, ad omnia factibilia, nullo excepto, et modus faciendi, scilicet tamquam causa principalis et suprema, non ut inferior et instrumentalis. Quoad extensionem convenit Verbo divino omnipotentia, Joan. I: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil,* ubi ly omnia comprehendit universalissime quidquid creatum est, seu fit, aut factibile est a Deo, si quidem quod sine ipso factum est, nihil est: et ad Colossens. I: *Omnia per ipsum, et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant:* et ad Hebr. I: *Portans omnia Verbo virtutis suæ:* Joan. V: *Quæcumque ille fecerit, hæc et Filius similiter facit.* Sed quia occurrere possunt hæretici dicendo, Filium quidem facere omnia, quæ Pater, sed ut instrumentum ejus, et consequenter ut creatura ejus substituta et subordinata voluntati ejus, quod Ariani dixerunt.

XIX. Huic responsioni, valide, et nervose occurrit S. Thomas IV contra gentil. cap. VII, et ex ea elicitur infinitas virtutis, et potentiæ Filii Dei, non solum respectu extensionis, et multitudinis objectorum, sed etiam quoad modum, et intentionem, rationemque faciendi. Nam in primis dicitur, quod ea quæ facit Pater, Filius similiter facit: si similiter: ergo eodem modo quo Pater, non ut instrumentum ejus: instrumentum enim dissimiliter a principali agente operatur. Deinde, quia eosdem effectus quos operatur Pater, operatur et Filius: facit enim quæcumque facit Pater. Quando autem duo agentia producunt, et attingunt eundem effectum, aut est quia virtus operativa congregatur et conflatur ex diversis virtutibus ipsorum agentium, quarum quælibet est insufficientis, sed conjuncta cum alia fit perfecta, sicut plures

trahentes navem, faciunt eundem effectum, quem singuli non possunt, et in animalibus ex mare et femina colligitur una virtus elaborativa fœtus et generativa, aut est quia virtus est perfecta et sufficiens in uno, sed in alio solum invenitur instrumentaliter et participative; et sic valde dissimiliter atque in principali: aut tandem in utroque agente invenitur æque perfecta et sufficiens virtus, licet divisa et distincta; ita tamen quod quidquid operatur una, eodem modo, et simili potestate facit et altera. Hoc tertium dici non potest, nisi ponendo superfluitatem in altero istorum agentium, quia si totum quod operatur unum agens, operatur et aliud, eodem prorsus modo, alterum superfluit, quia illud est superfluum, sine quo æque bene effectus fieri potest; si autem ista virtus idem operatur, et eodem modo quo alia: ergo etiam si ista non esset, æque bene fieret effectus, et hoc est esse superfluam. Dicere autem quod Deus ad omnia quæ facit, adhibet virtutem superfluam, est absurdissimum. Si dicatur secundum, erit imperfecta virtus in Filio, et valde dissimilis Patri, utpote cum instrumentaliter agere dicatur, et Pater principaliter. Unde quæcumque facit Pater, non facit Filius similiter, sed dissimiliter. Item non faciet Filius Verbo virtutis suæ, sed Verbo virtutis paternæ, quia instrumentum, et minister non operatur in vi proprii verbi, sed in verbo hic imperantis. Dicit autem Apostolus ad Hebr. I, quod: *Portat omnia Verbo virtutis suæ*. Item instrumentum et minister non operatur ut vult, sed secundum dispositionem alterius voluntatis sibi imperantis, unde nec similis aut tantus honor defertur ministro, sicut domino imperanti. Dicitur autem Joan. v, quod: *Sicut Pater mortuos vivificat, ita et Filius*

quos vult vivificat; et Pater omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem: ergo non operatur ut minister, sed ex proprio iudicio, et arbitrio, et voluntate, et cum pari honore atque Pater, quod neququam convenit ministro et instrumento. Si vero dicatur primum, sequitur quod virtus Filii secundum se, et Patris seorsim, et secundum se sint virtutes imperfectæ, quia ex illis conflatur una virtus integra et perfecta: ergo virtus Patris etiam non erit divina, sed creata, quia imperfecta ex se et insufficientis.

XX. Denique, totum illud figmentum Arianorum, quod Filius sit instrumentum Patris, minor illo, creatura facta ab illa, licet non sicut una creaturarum, sed cæteris excellentior, ex eo revincitur, quia talis creatura, vel est facta a solo Patre, vel non est facta ab ipso. Si non est facta ab ipso, a quo ergo? Non a se, quia repugnat aliquid seipsum producere. Non ab alio: quis enim præter Patrem est Deus, qui talem et tam excellentem creaturam (ut ipsi dicebant) crearet, cum Pater ipse omnipotens sit? Si ergo creatum est Verbum, utique a Patre creatum est, et a solo Patre, quia ab ipso Verbo non poterat fieri, alias fieret a seipso, et esset antequam fieret, quod implicat. Si autem a solo Patre factum est: ergo aliquid facit Pater, quod non facit Filius, scilicet ipsum Filium, seu Verbum factum, et non omnia per ipsum Verbum facta sunt, ita ut sine ipso factum sit nihil, si quidem aliquid factum est, et non per ipsum, sed sine ipso, scilicet ipsum Verbum seu ipse Filius; quæ sunt propositiones immediate contradictoriæ ipsi Scripturæ.

XXI. Dices: Omnia esse facta per Verbum internum, quod est ipsa Dei sapientia, non per Filium, qui

est aliquid procedens a Deo, et extra Deum. Per hunc enim non sunt facta omnia, quia ipse non est factus a se; sed præter se facta sunt alia per Filium tamquam per instrumentum. Per Verbum autem internum omnia simpliciter facta sunt: sic enim plura Verba distinxisse Arium supra articulo primo retulimus. Sed hæc figmenta insanientium sunt et aranearum telæ, quibus impietas tegere se non potest, nec defendere. Nam Scriptura illud ipsum Verbum, per quod dicit omnia facta esse, unigenitum vocat, seu Filium, nam de eodem Verbo quod Joannes dixerat esse apud Deum, et Deum esse Verbum, et omnis per ipsum facta esse, subdit immediate: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre*; illud ergo Verbum genitum est: ergo et Filius: ergo illud Verbum per quod facta sunt omnia, Filius est. Præterea Joan. v dicitur, quod: *Quæcumque facit Pater, hæc et Filius similiter facit*, ergo idem dicit Scriptura de Verbo et de Filio, quod omnia per ipsum fiunt. Et Paulus tum ad Colossens. I, ubi de Filio loquitur, qui est imago Dei invisibilis, dicit quod: *Omnia per ipsum, et in ipso creata sunt*, et omnia in ipso constant; tum ad Hebr. I loquens de Filio: *Quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula*, addit quod est: *Portans omnia Verbo virtutis suæ*: ergo non minus facta sunt omnia per Filium, quam per Verbum, sed idem formalissime est Verbum et Filius.

XXII. Futilius est quod respondent novi Ariani hujus temporis, scilicet quod in istis locis in quibus dicitur per Verbum facta esse omnia, creata esse omnia, portari omnia, etc. non esse sermonem de creatione rerum facta a solo Deo, sed de restauratione Ecclesiæ, et

redemptione hominum facta per Christum hominem. Sed contra, quia Paulus diserte affirmat ad Colossens. x: *Omnia condita esse in ipso, et creata per ipsum in caelo et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates*. Creatio autem istorum non est renovatio et redemptio hominum; de hac enim postea subjungit Paulus: *Quia per ipsum placuit reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis*: ergo cum dicit in ipso esse condita omnia, et creata, de creatione loquitur, non de reconciliatione: sic enim idem repeteret. Nec ex ista restauratione recte probaret Paulus, quod ipse est ante omnes, quia omnia creavit, si ly creavit est idem quod restauravit, cum possint etiam restaurari, quæ ante nos fuerunt. Denique, ad Hebr. I dicit Apostolus quod: *Per Filium fecit Deus sæcula*: et infra: *Tu Domine terram fundasti et opera manuum tuarum sunt cæli*. Non ergo solum redemptio hominum, sed cæli ipsi et terra creata sunt ab eo: est ergo creator sicut Pater, non creatura.

XXIII. Denique, ex dictis ostenditur quartum principium, quo Scriptura nobis ostendit Filii divinitatem, scilicet quia tollit ab illo omnem inferioritatem creaturæ, et attribuit omnem superioritatem Dei. Tollit quidem omnem inferioritatem creaturæ, quia omnem creaturam ei subjicit, et ab eo creatam dicit, et in ipso constare, ut locis nuper allegatis constat ad Colossenses I, ad Hebræos I, Joannis I, et omnia illi esse subjecta habetur I Corinth. xv, ad Hebr. II. Tollitur etiam inferioritas creaturæ, dum æqualitas ejus cum Deo asseritur ad Philip. II, et vocatur splendor gloriæ, et figura, seu imago substan-

tia Dei ad Hebr. i, quod non nisi actui puro convenire potest: omnes enim creaturæ umbra sunt, non splendor Dei, vestigium seu imago accidentalis, non substantialis Dei, scilicet in esse vel in operationibus. Attribuit superioritatem Dei ipsi Filio, quia eundem honorem et adorationem ei tribuit ac Patri: *Ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem*, Joan. v: et in Psalm. LV dicitur: *Adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei*; et Psalm. xcvi: *Adorate eum omnes Angeli ejus*, quod de Filio intelligit Apostolus. Ad Hebr. i dicitur in Filio esse beatitudo nostra et vita æterna, quod utique solum vero Deo et fini ultimo convenit, Joan. xvii: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum*; et i Joan. ultimo dicitur de Filio: *Hic est verus Deus et vita æterna*. Ergo Filius Dei qui est Jesus Christus verus Deus est, et increatus; et sic consubstantialis Patri.

XXIV. De Spiritu sancti divinitate et consubstantialitate, eadem prorsus probatio ex Scripturis deducitur, ac de Filio, ut late, et eruditissime tradit S. Thomas iv contra gentil. cap. xvii. Nam in primis Spiritus sanctus expresse nominatur Deus in Scriptura, ut Actorum v, ubi Petrus dicit Ananiæ: *Cur tentavit Satanæ cor tuum mentiri Spiritui sancto? Non es mentitus hominibus, sed Deo*. Ergo Spiritus sanctus est Deus. Et i Corinth. xii dicitur: *Divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus*: et postea subditur: *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult*. Idem ergo qui vocatur Spiritus, Deus est. Et sic expresse mentiuntur Transylvani seu novi Ariani, dicentes nusquam Spiritum sanctum vocari Deum in Scriptura.

Item quia ille idem Dominus exercituum, qui Isai. vi dicit: *Vade, dic populo huic: Audite audientes et nolite intelligere*, vocatur Spiritus sanctus Actorum ultimo, ubi referens Paulus hunc locum Isaiaë inquit: *Bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam, dicens: Vade ad populum istum, et dic eis: Aure audietis, et non intelligetis*. Similiter ille qui locutus est per prophetas fuit summus et verus Deus, Deus legis et prophetarum, de quo dicitur Luc. i: *Benedictus Deus Israel, etc. Sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt prophetarum ejus*. Sed illemet qui locutus est per prophetas, dicitur Spiritus sanctus ii Petri i: *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*; ergo Spiritus sanctus est summus Deus.

XXV. Ex æqualitate cum Deo idem probatur, quia Spiritus sanctus dicitur esse unum cum Patre et Filio: ergo et æqualis i Joan. ultimo: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo Pater, Verbum, et Spiritus sanctus et hi tres unum sunt*. Et eodem nomine seu dignitate numerantur Matth. xxviii: *Baptizantes eos in nomine Patris, et Spiritus sancti*. Similiter ponitur immensus Spiritus sanctus: ergo et æqualis Deo, quia nihil minus habet quam ipse, si immensus est; dicitur autem Sapientia i: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis*. Dicitur etiam æqualis Deo in scientia, quia omnia scilicet habet quæ Deus, i Corinth. ii: *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei*, et infra: *Quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei*. Est ergo illi æqualis, si omnem scientiam Dei adæquat, et comprehendit omnia.

XXVI. Ex potestate et virtute idem probatur, quia Spiritui sancto attribuantur omnes actiones quæ sunt propriæ Dei, ut creare sanctifica-

re, etiam ipsam Christi humanitatem, loqui per prophetas, et mittere illos, facere miracula, regere Ecclesiam. De creatione habetur Psalm. ciii: *Emittes Spiritum tuum, et creabuntur et renovabis faciem terræ*, ubi distinguitur renovatio contra creationem: Psalm. xxxii: *Verbo Domini cæli formati sunt, et Spiritus oris ejus omnis virtus eorum*: Job xxxiii: *Spiritus Domini fecit me*: et c. xxvi: *Spiritus ejus ornavit cælos*. Quod totum pertinet ad vim et opus creationis hujus universi, non ad restaurationem et sanctificationem hominis, et sic ante opus restorationis invenitur Spiritus sanctus tamquam creator, et consequenter ut habens omnipotentiam eandem cum Patre. Nec potest dici quod Spiritus creat ut instrumentum, et minister, tum quia Scriptura sine ulla diminutione aut restrictione, sed simpliciter, et absolute dicit ipsum creare, firmare, et ornare cælos; nulla est ergo ratio cur dicamus id facere ministerialiter; tum quia dicitur firmare cælos ut Spiritus oris Dei, non ergo ut minister, et instrumentum illius: sic enim esset extranea persona, non ipsius oris divini Spiritus. Dicitur Spiritus sanctus sanctificare i Corinth. vi: *Justificati estis in nomine Domini Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri*: Isai. xi: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectus, etc.* et c. lxi: *Spiritus Domini super me eo quod unxerit me, evangelizare pauperibus misit me*, quam prophetiam Lucae iv impletam fuisse, Dominus testatus est: et Lucae i dicitur de Baptista: *Replebitur Spiritu sancto adhuc ex utero matris suæ*. Dicitur Spiritus sanctus loqui per prophetas, et mittere illos ii Petri i: *Spiritu sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines*; Isai. xlviii: *Et nunc Dominus Deus misit me, et Spiritus ejus*.

Dicitur facere miracula tamquam Deus, in primis summum miraculorum, scilicet incarnationem ipse fecit Luc. i: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*: Matth. i: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*, ubi parificatur Spiritus sanctus et virtus Altissimi in illo maxima opere faciendo. Item resuscitatio Christi, et nostra attribuitur Spiritui sancto, ad Roman. viii: *Si Spiritus sanctus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis habitat in vobis, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis*. Et Dominus de seipso dicit facere miracula in Spiritu sancto, Matth. xii: *Si in Spiritu Dei ejicio dæmonia*. Et Paulus i ad Corinth. xii omnia genera linguarum, sanitatum, discretionis spirituum, etc. attribuit Spiritui sancto: dicitur Spiritus sanctus regere Ecclesiam, Act. xx: *In quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*: Actorum xv: *Visum et Spiritui sancto et nobis*: et c. xiii dixit Spiritus sanctus: *Segregate mihi Paulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos*: utique ad ministerium Ecclesiæ. Est ergo Spiritus sanctus Deus, quia ad ipsum pertinet gubernare totam Ecclesiam, et disponere de illa, et distribuere dona ejus prout vult, id est, tamquam Dominus, non tamquam minister.

XXVII. Denique, ex eo divinitas Spiritus sancti constat in Scriptura, quia non attribuitur ei inferioritas creaturæ, et attribuitur superioritas Dei, sicut est habere templum, esse beatitudinem nostram et sanctificare nos, et alia similia. Nam inferioritas creaturæ nusquam attribuitur Spiritui sancto, cum tamen pluribus locis numerentur creaturæ Dei, etiam excellentissimæ, ut Throni, et Potestates et Cherubim et Sera-

phim, nusquam illis annumeratur Spiritus sanctus. Attribuitur autem ei templum, et adoratio quæ est propria Dei I Corinth. VI : *An nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Ubi Spiritus sanctus cui membra assignantur pro templo, dicitur Deus, quia de ipso subditur quod portemus Deum in corpore nostro, ut pote tamquam in templo : talis etiam veneratio debetur Spiritui sancto quod ejus injuria est injuria Dei, et peccatum irremissibile, ad Heb. X : *Quanto putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, et Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Ergo contumelia quæ fit Spiritui sancto est sicut injuria quæ fit Filio Dei : ergo supponit quod veneratio quæ debetur Spiritui sancto est adoratio, quæ debetur Deo. Similiter Matth. XII dicitur : *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum non remittetur ei, etc.* Ergo Spiritus sanctus est Deus, quia peccatur in ipsum, sicut et in Filium, imo et gravius. Denique, Spiritus sanctus est ipsa beatitudo, quia dicitur I Petri I : *Nunc nuntiata sunt vobis per eos qui evangelizaverunt vobis Spiritu sancto misso de caelo, in quem desiderant Angeli prospicere, sed ille in quem desiderant prospicere est eorum beatitudo, et finis ultimus, qui est Deus : ergo Spiritus sanctus Deus est.*

XXVIII. Sequitur tanta Scripturarum testimonia concors Ecclesiæ catholicæ sensus et assensus in explicando hoc mysterio, in quo simpliciter fatetur esse tres Personas realiter distinctas consubstantiales, et in una essentia deitatis identifi-

catas. Quod et patres unanimiter testantur, et Concilia omnia a Nicæno Concilio usque nunc, dum perpetuo eandem formulam fidei quæ in Symbolo est, profitentur, et admittunt : in Symbolo autem aperte continetur hoc mysterium Trinitatis. Et inter alia diserte in hoc mysterium contra omnes errores explicatur in Concilio Romano sub Damaso, in Concilio Toletano III, IV et XI et in Braccarenensi I et in Concilio Lateranensi sub Innocentio III, ut habetur in canone : Firmiter de summa Trinitate et fide catholica, et canone : Damnamus, eodem titulo, et in aliis multis Conciliis, et hanc esse traditionem et doctrinam ab exordio nascentis Ecclesiæ aperte docet Tertullianus adversus Praxeam, cap. II, ubi mysterium Trinitatis explicans, et proponens : « Hanc, inquit, regulam ab initio evangelii decurrisset, etiam ante priores quosque hæreticos, nedum ante Praxeam hesternum, probabit tam ipsa posteritas omnium hæreticorum, quam ipsa novellitas Praxea hesterni. »

XXIX. Hactenus testimonia contra hæreticos, et Judæos, aliosque qui Scripturas agnoscunt pro mysterio hoc, et vera fide stabilienda adduximus. Pro paganis autem, et ethnicis, qui Scripturas non agnoscunt, non potest hoc mysterium convinci, sed solum persuaderi, et tamquam credibile proponi, sicut et aliæ res fidei. Duo tamen possunt paganis evidenter ostendi de hoc mysterio, cum ipsis proponitur fides.

Primum est, hoc mysterium inter articulos nostræ fidei vere contineri, ac proinde non posse veram et supernaturalem fidem ab ipsis acceptari, nisi hoc mysterium credatur, quia si Deo per Scripturas loquenti debent credere, constat hoc mysterium ibi contineri, et sic si-

militariter credi debere, licet nihil simile illi sit in rebus creatis, quia non est mirum aliquid debere esse in creatore ita magnum, et sublimem, quod nihil illi simile sit in creaturis : ac proinde non esse regulandum per ea quæ de creaturis et earum processionibus cognoscimus vel discurremus.

Secundum est, posse evidenter defendi hoc mysterium a difficultatibus, quæ contra illud objiciuntur, et sic non debere judicari impossibile, cum sit evidenter defendibile. Unde præcipua vis ad persuadendum hoc mysterium paganis, ex solutione difficultatum in contrarium increscet, quas sequenti articulo recitabimus. Modus autem declarandi ipsum mysterium, et ea quæ circa processionem, et relationes ac singularum Personarum proprietates, et constitutiva se offerunt, deinceps per totum tractatum explicabuntur.

ARTICULUS III.

Expediuntur ea quæ contra hoc mysterium ab hæreticis, et infidelibus objiciuntur.

Contra hanc veritatem catholicam ex quatuor præcipuis capitibus possunt objici argumenta et difficultates.

Primo, ex locis Scripturæ, quibus hæretici videbantur moveri.

Secundo, ex speciali repugnantia divinæ naturæ ad istam distinctionem Personarum.

Tertio, ex eo quod hoc mysterium videtur destruere principia evidentia, et necessaria naturalis luminis.

Quarto, ex aliquibus sophismatibus, quæ videntur ex positione talis mysterii induci, illisque utitur Valentinus gentilis, alique nostri

temporis novi Ariani, et Sabelliani.

LOCA SCRIPTURÆ EXPLICANTUR.

Primo, objici possunt quædam loca, quæ positive videntur, Filio Dei attribuire inferioritatem ad Patrem, et illum dicere creaturam.

Secundo, alia loca quæ videntur enervare, ea quibus nos ejus divinitatem, et consubstantialitatem volumus adstruere. Et advertendum est quod eadem fere loca quæ nituntur probare Christum, et Spiritum sanctum non esse Deum, sed solum Patrem, serviunt pro Sabellianis ad probandum non dari nisi unam Personam in Deo quæ vere sit Deus, non plures.

I. Prioris ergo generis sunt illa loca quæ Christum minorem, et inferiorem Patre affirmant, sicut dicitur Joan. XIV : *Quia Pater major me est, et Apostolus dicit de Filio I Corinth. XV : Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui subjecit sibi omnia.* Quod certe non potest intelligi de humana natura assumpta : nam in hac multo magis fuit illi subjectus ante glorificationem suam, quam cum omnem potestatem sibi datam ostendet. Item dicitur creatura, Ecclesiastici I : *Prior omnium creata est Sapientia : et cap. XXIV : Creator omnium et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo : et in eodem capite : Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam : et Apostolus ad Coloss. I : Qui est primogenitus omnis creature.* Quibus locis fit mentio de Filio, non ratione incarnationis, sed secundum se, et ut procedens a Deo, et tamen nominatur creatura. Si ergo nos facimus argumentum, quod ex eo quod nominatur Deus, debet intelligi pro vero Deo, cur similiter